



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

322. Christus Resurrectionem suam tertio die futuram prædixit.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

na, nec regnum animæ patitur esse quietum. Sed tu exurge, adjuva me. *Thomas à Kempis lib. 3. de Imitatione Christi, cap. 34. §. 3. & 4.*

MEDITATIO CCCXXII.

Christus Resurrectionem suam tertio die futuram predixit.

I. **R**esponderunt Iesu quidam de Scribis & Phariseis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. *Matth. 12. v. 38.*

II. Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est. *Luc. 11. v. 29.* Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. *Matth. 12. v. 39. Luc. 11. v. 29.*

III. Nam sicut fuit Ionas signum Ninivitis: ita erit & filius hominis generationi isti. *Luc. 11. v. 30.* Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. *Matth. 12. v. 40.*

IV. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. *Luc. 11. v. 31. Matth. 12. v. 42.*

Viri

CHRISTI REDIVIVI. 301

Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia poenitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic, *Matth. 12. v. 41. Luc. 11. Vers. 32.*

MEDITATIO CCCXXIII.

Mulieres parant aromata, & egrediuntur ad sepulcrum.

I. **V**espere autem Sabbati, quæ lucefcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulcrum. *Matth. 28. Vers. 1.*

II. Et cùm transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent IESUM. *Marc. 16. v. 1.*

III. Vna autem Sabbati, *Luc. 24. v. 1. Ioan. 20. v. 1.* unâ Sabbatorum; *Marc. 16. v. 2.* valde diluculo, *Luc. 24. Vers. 1.* valde mane, *Marc. 16. v. 2.* cùm adhuc tenebræ essent, *Ioan. 20. v. 1.* veniunt ad monumētum, orto jam sole, *Marc. 16. v. 2.* portantes, quæ paraverant, aromata. *Luc. 24. v. 1.*

MEDITATIO CCCXXIV.

Terra motu concutitur: Angelus lapidem revoluit.

I. Et